S. Chariss: et doctiss: Dne M. Theophile commendavi
nuper tibi conversationem meam et popularem Dehamerin
Spirensem, atque hunc eum ad te misi. Tu mihi respondisti
per epistolam, putare te, fortasse, parum consultum si praeter-
missa doctrina praedicabilium ad syllogismorum formationem
admitteretur audiendam. Ego tibi optime Theophile
animi mei sententiam candide explicabo. Mallem
adolescentes prius hac parte exerceri, quam illis subtilita-
tibus (tibi secreto) detineri diutius. Praecepta de syllo-
gismorum constructione sunt aperta certa, quae a fideli
praeceptore inculcari queant facillime. Immo puto
ex syllogismorum regulis praecepta priorum librorum rectius quam
privatim disci posse. Ergo a meis repetitionibus non puto
arcendum, modo ipse materiam praebeas sedulo cogitandi
et praecepta quae docebis fideliter percipiat. Ego quicquid
potero supplebo vel iuvabo. Haec tibi volui scribere
meo nomine. colloquemur autem alias pluribus de
hac re. Dno Seidelio quaeso dic ut cras hora 9
antemeridiana ad me veniat. Vale mi M.
Theophile. pridie Cal. April.

J. J. Grynaeus

Sim. Grynaeus.

Ornatiſſimo iuveni domino M.
Theophilo Madero amico suo.